

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè
instituenda - Complectens vatos & solidos modos juvandi & consolandi
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

Lohner, Tobias

Dilingae, 1677

Memb. II. Quomodo Parens Liberos alloqui possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](#)

V. Vale ergo Uxor dilectissima, & sic vive, ut cum gaudiō iterum in cælis mutuò videamus. Noli tristari immodecè propter obitum meum, sed memento, te mortalem Matutum duxisse, atque adeò ægrè ferre non debere, si mortis debitum persolvat. Dominus me tibi dedit, Dominus nunc iterum me aufert. Sicut ipsi placuerit, sic fiat. Sit nomen ejus benedictum. Ille te & Liberos nostros benedicat, custodiat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

MEMBRUM II.

Quomodo Parens Liberos alloqui possit.

I. Perdilecti Liberi, appropinquat tempus, quo discedere à vobis, alterique vos Patri relinquere debebo. Auditio proin ultima Patris vestri verba, & cordi vestro profundè inscribite, ut suo tempore optatum ex illis fructum referatis.

II. Inprimis ergo, quantum pro paterna mea apud vos autoritate ac dilectione valeo, adhortor vos, ut Dominum DEVUM ex toto corde timeatis, & ametis, certoque vobis persuadeatis, hanc optimam esse hereditatem, quam vobis relinquere possum; hanc quippe si possideatis, nihil deerit vobis, ut ipse DEVS non semel promisit.

III. Secundò vos hortor, ut singularem quoque cultum & amorem Sanctissimæ Christi, imò & vestræ cœlesti Matri Semper exhibeat, & ad eandem in omnibus vestris necessitatibus recurritis, cum firma spe, quod, sicut per eam mundus totus salutem invenit, ita vos quoque per ejusdem maternum amorem & sollicitudinem ad optatum felicitatis portum fitis perducendi.

IV. Tertiò adhortor vos, ut pariter omnem amorem, reverentiam, & obedientiam secundæ vestræ Matri Spirituali, nempe Ecclesiæ Catholicæ exhibeatis, ideoque veram & vivificam fidem, in qua haec tenus à me educati & instructi tam sollicitè fuistis, totis viribus propugnetis, & conservetis; omnibus quoque Ecclesiæ Ministris debitam reverentiam & obedientiam præstetis, & institutas ab eadem cærimonias, & præcipue sanctissima Sacraenta cum summa veneratione recipiatis, & frequenter ac devotè usurpetis.

V. Quartò adhortor vos, ut etiam carnalis vestræ Matris beneficia grato animo agnoscatis, idcōque filialem amorem & obe-

& obedientiam constanter illi exhibeat, firmiter credentes,
quod per hoc & DEO & mihi singularem delectationem crea-
turi, vobis autem vita prolongationem, & copiosam bene-
ditionem sitis obtenturi.

VI. Quinto adhortor vos, & quidem, ut hanc doctrinam
tantò studiosius observetis, ipsius Christi verbis, ut diligatis
invicem, sicut ego dilexi vos; nam sic DEVS inter vos habi-
bit, & vos ac bona vestra contra omnes hostium insidias po-
tentiter defendet.

VII. Sexto adhortor vos, ut etiam cum aliis homini-
bus pacem & concordiam semper servare studeatis, accepta
beneficia grato animo agnoscatis, & compensetis, illatas in-
jurias Christiana charitate ac patientia supportetis, &, quid-
quid vultis, ut faciant, vel non faciant vobis homines, id ipsum
etiam vos vel faciatis, vel caveatis.

VIII. Septimo misericordiam quoque erga Defunctos &
Viventes specialiter vobis commando, certòq; vobis persua-
deatis, opto, quod, quantò vos liberaliores erga DEVUM in
Pauperibus exhibebitis, tantò liberaliorem quoque ipsum er-
ga vos sitis experturi.

IX. Octavo singulariter quoque vos adhortor, ut
propriae vestrae saluti speciali studio invigiletis, ideoque o-
mnia media ad eandem assecurandam necessaria sedulò ad-
hibeat, hunc namque ob finem à DEO creati, & à me pro-
creati estis. Si ergo DEUM & me diligitis, desiderium meum
implete, & sic vitam vestram instituite, ut hic quidem lauda-
bilem mei in vobis memoriam conservare, & in altera vita
vos iterum cum gaudio excipere, & per vestram gloriam meæ
quoque felicitatis non leve augmentum obtainere valeam.

X. Accedite ergo, o dilecti Liberi, & postremum à Pa-
rente vestro osculum accipite, quo testemur, quantopere ha-
bemus invicem dilectionem, & per totam olim æternitatem
sumus dilecturi. Ego quidem, quemadmodum hæc monita
paterna singulari vobis affectu tradidi, ita confido, quod filia-
li quoque amore & obedientia excepturi, operèque comple-
ti quoque sitis. Nihil proinde aliud superest, quam ut paternam
pro valedictione benedictionem vobis impertiar, Deumque
suppliciter rogem, & obtestor, ut in suam vos custodiam pa-
terne suscipiat, abundantemque gratiam concedat, quâ san-
ctissimis.

T

ctissi-

Etissimam ejus voluntatem sollicitè indagare , atque perfectè implere studeatis , sìcque digni efficiamini promissam mecum in cælis hæreditatem accipere , quam vobis & mihi clementer concedere dignetur Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus. Amen.

M E M B R U M III.

Quomodo Infirmus alios Homines adstantes alloqui possit.

I. **P**erdilecti Amici & Fratres in Christo , cùm jamjam intrigendar viam , per quam omnes ad alteram vitam transire oportet , neque sciam , quâ horâ Dominus noster venturus , méque à gratissima vestra Societate abstracturus sit , liceat mihi cum vestra venia ante abitum meum , animi nisi vobis sensa , desideriáque explicare .

II. Inprimis ergo confiteor , me , dum jamjam supremo iudicio me sistendum credidi , idéoque vitam & opera mea accuratiùs examinavi , in ijs omnibus nihil reperisse , nisi vanitatem & afflictionem animi , solis illis operibus exceptis , quæ ad debitum DEO amorem , servitiūmque præstandum direxi . Omnes proinde adhortor , ut commodis ac saluti vestre melius prospiciatis , & totos vos divino cultui , servitióque divino consecretis , ne serò olim errorem vestrum agnoscere , & sine spe correctionis deplorare cogamini .

II. Secundò confiteor , me in omnibus meis adversitatibus , & præcipue in hac ultima mea necessitate nullum melius solatium , ac robur animi invenisse , quâ spem atque fiduciam , quam in meritis acerbissimæ Passionis & Mortis JESU Christi Domini mei collocavi , & patientiam , per quam me ipsi conformare studui . Quapropter & vos adhortor , ut similem fiduciam in his sanctissimis & infinitis meritis collocetis , & quidquid DEVS pro vestra salute permiserit , cum magna patientia , gaudióque accipiatis , ut in altera vita tanto copius gaudium percipere possitis .

IV. Tertiò confiteor potissimum spem & securitatem meæ salutis in præsenti statu mihi oriri per exiguum quidem , sed constantem devotionem , quam erga SS. DEI Matrem , S. Angelum Custodem , & reliquos Patronos hactenus ostendis , per quorum proinde auxilium & intercessionem , sicut ego

modò